



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Sacros. Concilii Tridentini Canones Et Decreta**

**Gallemart, Jean**

**Coloniæ Agrippinæ, 1621**

Decretum de Indulgentijs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39157**

CONTINVATIO SESSIONIS  
DIE IV. DECEMB.

*Decretum de Indulgentijs.*

CVm potestas conferendi Indulgentias à CHRISTO  
Ecclesiæ concessa sit; atque huiusmodi potestate,  
diuinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus il-  
la via fuerit: sacrosancta Synodus Indulgentiarum vsum,  
Christiano populo maximè salutarem, & sacrorum Con-  
ciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum  
esse docet, & præcipit; eosque anathemate damnat, qui  
aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia  
potestatem esse negant. In his tamen concedendis mo-  
derationem, iuxta veterem, & probatam in Ecclesia con-  
suetudinem, adhiberi cupit; ne nimia facilitate ecclē-  
siastica disciplina eneruetur. Abusus verò, qui in his ir-  
repperunt, & quorum occasione insigne hoc Indulgenti-  
arum nomen ab hæreticis blasphematur, emendatos,  
& correctos cupiens, præsentis decreto generaliter sta-  
ruit, prauos quæstus omnes pro his consequendis, vnde  
plurima in Christiano populo abusu causa fluxit, om-  
nino abolendos esse. Ceteros verò, qui ex superstitione,  
ignorantia, reuerentia, aut aliunde quomodocumque  
prouenerunt, cum ob multiplices locorum, & prouincia-  
rum, apud quas hi committuntur, corruptelas commodè  
nequeant specialiter prohiberi; mandat omnibus Epi-  
scopis, vt diligenter quisque huiusmodi abusus Ecclesiæ  
sue colligat, eosque in prima Synodo Prouinciali refe-  
rat: vt aliorum quoque Episcoporum sententia cogniti,  
statim ad summum Romanum Pontificem deferantur:  
cuius auctoritate, & prudentia, quod Vniuersali Ecclesiæ  
expediat, statuatur; vt ita sanctarum Indulgentiarum  
minus piè, sancte & incorruptè om-  
nibus fidelibus dispen-  
setur.

## REMISSIONES.

Vide Angles in Floribus Theologicarum quæst. c. de Indulgentiis. Nau. in particulari opere, P. Valent. tom. 4. disp. 7. q. 20. P. Jonez tom. 4. prope finem, P. Henric. in Summa p. 1. lib. 7. de Indulgentiis. Valer. Reginald. in praxi fori pœnitent. lib. 7. à num. 94. cum seq. Ægid. de Coninck de Sactam. & Censuris tom. 2. disput. 12. Baldellium super opera controuers. Bellarm. p. 1. lib. 6. de Indulgent.

## De delectu ciborum, ieiunijs, &amp; diebus festis.

Insuper hortatur sancta Synodus, & per sanctissimum Dominum nostrum atque Saluatoris aduentum Pastores omnes obtestatur, vt tanquam boni milites illa omnia, quæ sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum mater, & magistra, statuit, nec non ea, quæ tam in hoc Concilio, quam in alijs œcumenicis statuta sunt, quibuscumque libelibus sedulo commendent; omniq; diligentia vtantur, vt illis omnibus, & ijs præcipue sint obloquentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, vt ciborum delectus, & ieiunia; vel etiam, quæ faciunt ad pietatem negandam, i vt dierum festorum deuota, & religiosa celebratio, admonentes populos crebro, b obedire Præpositis, quos qui audiunt, Deum remuneratorem audient; quæ verò contemnunt, Deum ipsum ultorem sentient.

## DECLARATIONES.

1. Vt dierum festorum deuota & religiosa celebratio. Nihil in eo, dum in consuetudine huiusque tolerata in nundinis, quæ non sunt solemaes, sed sunt peractis sacris in festo alicuius Sancti, aut eius Ecclesiam, extra tamen autum.

## De Indicé librorum, &amp; Catechismo, Breuiario, &amp; Missali.

c Sup. Sess. 18. in princ.

Sacro sancta Synodus in secunda Sessione, sub Sanctissimo Domino nostro Pio IV. celebrata, delectis quibusdam

Concil. Trid.  
cū declar.  
in materia  
moralis

a c. nō dæcor.  
37. dist. Vigil.  
in ep. ad Eu-  
therum in fi.  
Felix 1. in  
epist. 3.

b c. qui suis  
23. dist. c.  
quia frater  
7. q. 1. Luce.  
20.